

VIII. Actum, qui peccatum admissum respicit. nominavimus tum detestationem tum dolorem. Hic duplex terminus est clarius explicandus. Detestatio enim peccati, quae iuxta s. Thomam in IV. D. 17. q. 2. a. 3. nihil aliud est quam displicentia praeteriti peccati, est odium (aversio, fuga) peccati non solum absolute spectati, sed peccati a nobis commissi, quod nobis inest aut inerat. Hic actus odii sic exprimitur: *vellem non peccasse, displicet mihi peccasse*. Hunc actum odii erga peccatum, quod praesens est vel actu vel habitu, vel ratione effectus, qui adest aut timetur, vel saltem praesens fuit, comitatur naturaliter tristitia aliqua in ipsa voluntate. Inter affectus enim proprios voluntatis est etiam tristitia ob malum praesens, sive sit praesens actu, sive transierit quidem actu, sed praesens sit habitu aut aliqua alia ratione (puta quia verum est de praesenti me admisisse olim peccatum): hic porro affectus sponte excitatur ad apprehensionem mali, quod ut malum nostrum apprehendimus et detestamur. Iste affectus non est proprie detestatio sola peccati aut displicentia pura: nam et in beatis, qui olim peccaverunt, est detestatio et displicentia seu improbatio peccati, at non est tristitia, quam status beatitudinis excludit. Sed hic affectus est affectus oppositus gaudio: et sicut gaudium differt ab amore rei quoque praesentis, ita tristitia differt a detestatione sive odio et displicentia peccati.

Iam vero tristitia huiusmodi nequit non esse in voluntate, cum et voluntas capax est tristitiae, et voluntas detestatur malum quod ei adhuc, etsi non actu, habitualiter tamen inest, aut cuius effectus malos experitur, vel timet. Est autem actus liber, quia libere recogitatur peccatum sub ratione mali, et libere voluntas illud detestatur, ipseque actus tristitiae libere intendi potest a voluntate. Ex hac tristitia dolor quoque sensibilis resultare plerumque solet, qui signum est tristitiae voluntatis. Porro cum poenitentia dicitur esse dolor, ea proprie tristitia intelligitur, quae est in voluntate ob malum praesens, quod voluntas detestatur. Dolor autem sensibilis ad poenitentiam necessario non spectat.

THESIS II.

(a. 1.)

*Poenitentia, prout in voluntate existit, est virtus.*

I. In praecedenti thesi vidimus poenitentiam complecti detestationem et dolorem praeteriti peccati. In demonstratione vero huius conclusionis quod *poenitentia sit virtus*, addit haec aliquid s. Thomas, quo indoles poenitentiae declaratur magis, et quod prae oculis habendum est, ut doctrina eiusdem de poenitentia intelligatur; quod enim addit s. Doctor, spectat ad poenitentiam prout est virtus specialis, qualis semper ab ipso consideratur, quemadmodum postea magis declarabimus. Ait itaque poenitentem assumere moderatum (secundum modum nempe quem ratio praescribit) dolorem de peccatis praeteritis *cum intentione removendi ea*. Moderatus dolor de peccatis praeteritis assumptus est ea, quae dicta est, detestatio et displicentia peccati, quae quoniam cum electione h. e. libere ponitur, et ex intentione certi finis eligitur, dicitur assumpta a poenitente. Quis vero est iste finis? Respondet s. Thomas intentionem poenitentis esse *ut removeat ea peccata*.

Quomodo autem intelligenda sit haec remotio peccatorum, explicat idem a. 1. ad 3. Nimirum in peccato duo distinguenda sunt, tum ipsum actuale peccatum, tum sequela ipsius. Per peccatum actuale homo Deum actu offendit, ei nempe iniuriam facit, ab eo avertitur; et proinde Deus avertitur ab homine, eique fit rationaliter offensus et iratus. Porro actus peccati physice quidem transit, sed manet habitualiter reatus culpae; etenim manet 1) moraliter iniuria, nam iniuria, quam Deo intulit, ei a Deo semper imputatur et reus ipse merito habetur, donec vel satisfecerit, vel peccatum ei sit condonatum: 2) manet physice habitualis aversio (si peccatum lethale fuerit) hominis a Deo sive voluntaria privatio debita rectitudinis hominis ad Deum. Unde et Deus qui per actuale peccatum offensus est, manet, transacto quoque actu, offensus erga hominem et ab eo aversus eique iratus. Reatum porro culpae 3) comitatur reatus poenae, qui est dignitas subeundae poenae.

Iam vero fieri quidem non potest ut actus peccati, qui exstitit, non exstiterit, unde stulta esse intentio illum removendi hoc pacto h. e. efficiendo ut non fuerit; ad praeteritum enim, ut aiunt, potentia non datur. (Attamen quomodo se habeat erga actum peccati praeteritum actus voluntatis detestantis illud, dicemus in fine thesis). At potest profecto removeri iniuria Deo facta perseverans seu

perseverantia offensae, huius enim imputatio perseverat; potest removeri habitualis aversio hominis a Deo, potest removeri dignitas poenae et quidem haec removeri possunt etiam per actus hominis utique ope gratiae agentis, non quidem perfecte, sed quantum in ipso homine est, imperfecte et dispositive. Potest enim homo se ad Deum convertere, et pro iniuria ei facta exhibere aliquam compensationem, quod potissimum fit detestatione et dolore peccati, ac suscepta in se ipso aliqua poena peccati, qua pro eo fiat aliquo modo satis: atque ita potest homo assequi a divina misericordia remotionem reatus culpae et poenae.

Finis ergo intentus a poenitente est remotio reatus culpae et poenae, quae dicitur remotio offensae Dei seu remotio perseverantis aversionis hominis a Deo, et remotio iniuriae, quae semper a Deo imputatur donec remissa sit: atque ad hunc finem obtinendum eligit poenitens compensationem seu emendam aliquam offerre Deo pro peccato, cuius emendae praecipua pars est detestatio et dolor peccati, qui proinde, ut ait s. Thomas, assumitur cum intentione removendi peccatum.

Hic est conceptus poenitentiae, quem exhibet s. Thomas. Quocirca habes duos veluti conceptus poenitentiae, alterum confusum et genericum, alterum distinctum et specificum. Confusus est, quod ea sit detestatio et dolor de peccato admissio cum proposito novae vitae: distinctus est, quod hic actus sit cum intentione delendi peccatum, et exhibendi compensationem pro offensa. Haec quidem intentio (ut deinceps clarius liquebit) implicite continetur in omni actu doloris et detestationis peccati, quae est in actu exercito semper quaedam emenda et compensatio pro offensa.

II. Iam demonstrandum est quod poenitentia est virtus. Dicimus prout est in voluntate. Nam quoniam ad poenitentiam plures actus imperati pertinere possunt, et dolor etiam quidam appetitui sensitivo tribuitur, nunc loquimur de ea poenitentia, quae principium est horum omnium actuum et sedem habet in voluntate. Dicimus quod poenitentia est *virtus*, quo nomine intelligimus vel habitum, vel simplicem actum virtuosum, praescindentes nunc a determinatione alterutris.

Iam vero vel poenitentiam accipis secundum confusum conceptum, vel secundum distinctum, manifestum est quod est virtus, quod ita probat s. Thomas (a. 4.) duplici ratione. Prima est: quia praecepta legis dantur de actibus virtutum, legislator enim intendit cives facere virtuosos, ut dicitur II Ethic. 4. sed praeceptum divinae legis est de poenitentia, secundum illud Matth. IV. 17: *Poenitentiam agite*; ergo. Secunda: quia poenitentia, prout est in vo-

luntate, est cum quadam electione, eaque recta; atqui actus voluntatis cum electione recta est actus virtutis: ergo. Minor patet ex Philosopho II. Ethic. 6, qui definit virtutem *habitum electivum secundum rationem rectam*. Maior probatur, quia pertinet ad rectam rationem ut aliquis doleat de quo dolendum est, et eo modo et fine quo dolendum est: quod quidem observatur in poenitentia, de qua nunc loquimur; nam poenitens assumit moderatum dolorem de peccatis praeteritis, cum intentione removendi ea.

Haec virtus poenitentia existit etiam ante institutionem Sacramenti; fuit enim quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum necessarius motus contritionis, h. e. doloris ac detestationis peccati cum proposito non peccandi de cetero, ut ait Tridentina Synodus Sess. XIV, cp. 4. Instituto autem Sacramento, poenitentia virtus est eius materia vel quasi materia, ita tamen ut, si perfecta sit, effectum suum remotionem nempe peccati seu reconciliationem cum Deo consequi valeat sine reali susceptione sacramenti, sed tantum in voto, ut postea demonstrabitur.

III. Difficultas est contra ipsum conceptum detestationis peccati. Poenitens enim peccatum ita detestatur ut dicat explicite vel implicite: *vellem non peccasse*: hic actus autem voluntatis stultus videtur, quia fertur in impossibile: quomodo ergo est virtus? Pro huius rei declaratione quaerunt theologi cuiusmodi sit iste actus voluntatis, an scilicet absolutus et efficax, an potius conditionatus et inefficax? Placet responsio et declaratio Cardinalis Lugii, (De Poenit. Disp. IV. Sect. 2) non esse voluntatem absolutam; quia « licet obiectum secundum se sit in materia contingenti et possibili, mihi tamen hic et nunc non est simpliciter et absolute possibile, cum non habeam ego hic et nunc potentiam ad tale obiectum...; porro ad volendum absolute aliquod obiectum per actum illum, qui explicatur per verbum *volo*, non sufficit quod obiectum secundum se sit possibile, sed requiritur quod subsit meae potestati: possibile est enim secundum se volare me, et tamen non possum dicere heic et nunc *volo volare*, sed, *vellem si possem* ». Itaque actus voluntatis est conditionatus, h. e. *vellem non peccasse*, si id fieri posset. « Quamvis voluntas completa (ait s. Thomas in IV. D. 47. a. 1) non possit esse alicuius sapientis de impossibili, tamen voluntas conditionata, quae et velleitas dicitur, esse potest de impossibilibus, quia etiam sapiens vellet quod impossibile est, si possibile foret. » Quomodo autem ea conditio intelligenda sit, explicat idem Lugus ibid. Nimirum « sensus illius voluntatis conditionatae non est hic: *si ego possem coniungere cum peccato praeterito negationem praeteritionis, id facerem* (haec enim, ut ipse advertit, est voluntas de obiecto

impossibili, quod namque praeteriit nequit non praeteriisse) sed hic potius est: *si ego nunc haberem potentiam ut peccatum illud non fuisset, id facerem*. Itaque obiectum huius actus, id quod volo, est, peccatum non fuisse, quod quidem simpliciter et absolute est in materia possibili, licet ex suppositione quod fuit, sit impossibile: conditio autem, quam appono, est, si ego haberem nunc potentiam... ad faciendum simpliciter quod non fuisset illud peccatum; sicut habeo nunc de facto potentiam, et est nunc in mea potestate, quod non fuerit in Deo unquam praescientia absoluta de meo peccato hodierno. Hoc ergo sensu dicimus: si nunc esset in mea potestate, quod illud peccatum non fuisset, certe vellem et facerem quod nunquam fuisset commissum; et hoc est formalissime illud detestari et retractare». Unde infert idem Auctor quod voluntas est de obiecto per se possibili, tamen sub conditione hic et nunc impossibili; quocirca est voluntas conditionata.

Quare idem concludit: «detestatio potest comparari vel in ordine ad praeteritum, vel in ordine ad praesens et futurum. Si comparetur in ordine ad praesens et futurum, est efficax et absoluta; quia ita habet odio peccatum, ut efficaciter velit illud non esse. Si vero comparetur ad praeteritum, est conditionata; non enim dicit: *volo non fuisse peccatum; sed vellem, si in mea potestate nunc esset, non fuisse peccatum*. Dicitur tamen simpliciter *odium efficax*, primo quidem ut distinguatur a simplici odio seu displicentia, quae etiam potest dari cum actuali affectu ad peccatum, (si nempe displicentia oriatur solum ex malis consecutis ad peccatum)... Item dicitur *efficax quoad effectum*, quia quamvis re vera non possit facere quod peccatum non fuerit; ex Dei tamen acceptatione habet valorem ac vires ad delendum peccatum, perinde ac si non fuisset. Denique est *efficax quoad affectum*, quia posita illa detestatione, ita destruitur affectus prior ad peccatum, ut iam homo non censeatur perseverare habitualiter in illa priori voluntate peccandi.»

Quod autem ait Vasquez (I. 2. Disp. XLII. c. 4) nullum esse actum voluntatis conditionatum; omnis enim actus eius exprimi potest per verbum *volo*, est enim volitio: actum vero, qui conditionatus dicitur, qui per verbum *vellem* exprimitur, esse actum intellectus, falsum est. Scilicet in suo *esse physico* omnis actus voluntatis est absolutus, *est enim, non esset*; sed *obiective* seu *terminative* modo absolutus, modo conditionatus esse potest.

I. Quaestio haec potissima occurrit, utrum poenitentia sit virtus specialis. Nimirum utrum poenitentia sit virtus distincta ab omnibus aliis virtutibus, quae communiter cognoscuntur, e. g. a cari-

tate, a spe, a religione etc. an sit aliqua ex his virtutibus, cui competat etiam actus poenitendi; vel sit conditio generalis aliarum virtutum, ita ut ad iustitiam pertineat poenitere peccati iniustitiae, ad temperantiam intemperantiae, et sic de ceteris. Et quia virtutes distinguuntur inter se propter diversa motiva formalia, quaestio huc redit, an sit aliqua virtus habens speciale motivum diversum a motivis reliquarum virtutum, quae possit poenitentia appellari. Quaestio haec maxime conducit ad naturam poenitentiae percipiendam, quare data opera eam pertractabimus.

II. Itaque in hac re plures sunt theologorum opiniones. Quidam enim negant esse specialem virtutem, quidam multoque plures affirmant; sed eorum et qui negant et qui affirmant non una est sententia. Fuerunt qui dicerent actum poenitendi spectare ad quamcumque virtutem, quae oppositum sibi peccatum detestetur; ideoque virtutem poenitentiae esse aggregationem omnium virtutum. Sed est opinio nimis inepta, ut ex dicendis patebit. Inter opiniones vero minus improbabiles.

Prima opinio tenet obiectum formale poenitentiae non differre ab obiecto formali caritatis: poenitentiam scilicet esse ipsam caritatem quatenus dolet de offensa Dei, quia offensa Dei est.

Alter opinio est poenitentiam esse ipsam iustitiam commutativam, quae est inter virtutes morales, prout tamen a virtutibus theologis dirigitur, ut reddat Deo debitum, obedientiam nempe, observando legem; et si homo praevaricatur, reddat debitam compensationem pro offensa. Ita Durandus in IV. D. 14. q. 2. Fundamentum eius est, quoniam si poenitentia esset virtus specialis, qui pluries peccasset, et semper deinceps poenitentiam egisset, pluribus esset virtutibus praeditus quam qui raro vel nunquam peccasset, quod ait esse irrisorium.

Tertia opinio tenet poenitentiam non esse virtutem distinctam a caritate, religione, et iustitia vindicativa; quae est sententia Caietani haec. Nimirum religio sub ratione cultus reddit debitum Deo in quocumque genere; sicut autem pro beneficiis acceptis debetur Deo gratia, ita pro offensis recompensatio: cum ergo gratiam pro beneficiis referat Deo virtus religionis, ita et recompensationem pro offensa referre dicenda est. Sane duo pertinent ad Poenitentiam, h. e. *recompensare offensam*, quod est satisfacere pro culpa, et *recompensare indulgentiam*, qua nobis plus nimio peccando indulsimus, quod est satisfacere pro poena. Porro prius tribus absolvitur, nimirum displicentia offensae, confessione peccati, et submissione ei qui offensus est; atqui ex tribus his primum spectat ad charitatem, alia duo ad religionem, quae eadem Deo praestat ut debita sub ra-

tione cultus. Recompensatio vero indulgentiae spectat ad iustitiam vindicativam, prout poenitens veluti minister Dei se ipsum punit.

Probat porro Caietanus poenitentiam non esse specialem virtutem, quia, ut ait, nulla virtus specialis requirit ut eius contrarium sit aut fuerit in subiecto; atqui poenitentia nequit esse in aliquo nisi in eo prius fuerit peccatum. Tum in Christo fuere omnes virtutes, defuit autem poenitentia; ergo non est habitus virtutis specialis, sed solum actus alicuius virtutis, supposito peccato:

III. Quarta opinio distinguit duplicem poenitentiam, generalem nempe et specialem. Illam concedit non esse ab omnibus aliis virtutibus distinctam; h. e. concedit alias quoque virtutes sub suo proprio formali motivo exercere posse poenitentiae actus. Contendit autem speciale quoque haberi motivum, quo poenitentia exerceatur, quod ad nullam aliam virtutem spectet, et quo proinde virtus specialis poenitentiae constituatur. Haec autem opinio rursus multiplex est.

Quidam enim volunt obiectum formale poenitentiae, si ea adaequate spectetur, esse ius divinum quatenus ex peculiari debito iustitiae servandum est; si autem eius peculiare munus spectetur detestandi peccata, motivum eius proprium esse resarcire divinam iniuriam. Qui enim peccat, iniuriam Deo facit, ius enim illius laedit; nam, cum Deus sit absolutus creaturarum Dominus, ius habet ne aliquid fiat contra suam voluntatem. Quare qui peccat, inaequalitatem aliquam ponit cum iure divino; hanc autem inaequalitatem tollere per compensationem et satisfactionem, atque aequalitatem servare cum habetur, est id quod poenitentia intendit. Unde poenitentia virtus specialis est iustitia quaedam hominis ad Deum, non habens quidem completam rationem iustitiae, quae haberi non potest ad Deum, sed diminutam et participatam, ideoque *pars potestativa* iustitiae dicitur. Ita Suarez De Poenit. Disp. II. Sect. 3. Dicastillo De Poenit. Disp. I. Dub. 2, qui ait sententiam esse quoque Vasquez in hunc locum a. 2. Dub. unic. n. 41. et 57. et art. 3. d. unic. n. 28. seqq. In idem redit quod Valentia in hunc locum et Toletus ibid. cum Thomistis docent peccatum, ut offensa Dei est, expiandum per actus quoque poenitentis esse obiectum formale poenitentiae.

Cardinalis autem Lugus De Poenit. Disp. II, Sect. 4. reprobatur primum sententiam praecedentem, quia nequit, ait, motivum formale poenitentiae esse *motivum iustitiae*. Quod probat pluribus, et primo quia non omne peccatum habet rationem iniuriae contra Deum, non enim semper exigit Deus nostra opera ex dominio proprietatis quod habet, et quod necesse esset ad rationem iustitiae, sed ex do-

minio jurisdictionis ut legislator et superior. Secundo quia etsi omne peccatum esset iniuria proprie dicta in Deum, non hoc ipso oriretur ex illa debitum resarciendi vel reparandi damnum ex iustitia; quia nimirum illum eundem actum, quem debui facere quando peccavi, non possum reddere cum illis iisdem circumstantiis, quae tunc habuisset, loci, temporis etc. alium vero similem, vel eundem cum aliis circumstantiis non teneor reddere ex iustitia, quia illum habet Deus in sua plena potestate, et facile potest illum extorquere meo arbitrio innumeris viis et auxiliis efficacibus. Cum ergo peccator non possit reddere in individuo quod abstulit, in aequivalenti vero non teneatur, quia illud aequivalens iam est in plena Dei potestate, non restat quomodo ex motivo iustitiae velit satisfacere pro iniuria. Tertio quia si poenitentia oriretur ex debito iustitiae, obligaret proculdubio statim quam primum post commissum peccatum; nam iustitia sicut obligat ad non laedendum ius alienum, obligat etiam, quando laesum est, ad satisfaciendum quantum fieri potest statim, ita ut quamdiu differtur satisfactio, continuetur peccatum non solum habituale, sed novum actuale: at poenitentia non statim obligat: ergo. Quarto motivum iustitiae includit obligationem satisfaciendi pro laesione iuris alieni: poenitentia autem non semper respicit satisfactionem, ad quam sit obligatio; nullum enim est praeceptum obligans ad satisfaciendum pro peccatis venialibus, et tamen poenitentia potest et de facto versatur circa illa: ergo. Quinto, cum ex motivo iustitiae reddimus aliquid, etsi non possimus reddere aequale, illa tamen partialis satisfactio, quam reddimus, tollit debitum partiale illi respondens, ideoque peccator in hac hypothesi compensaret ex iustitia partem debiti, quod tamen dici non potest; omnia enim nostra obsequia sine liberali condonatione Dei non sufficerent nec etiam partialiter ad extinguendam vel minuendam maculam peccati commissi. Quod si concedas nec partialiter peccatorem satisfacere ex se pro debito, tunc negatur ipsum ex motivo iustitiae debere poenitere: ea enim satisfactio, quae nec partialiter reparat iniuriam, non debetur ex iustitia, sicut qui occidit hominem, quem non potest iterum vivificare, non tenetur ex iustitia aliquid pro eius anima offerre, vel alia obsequia ei praestare.

His praemissis censet Lugus ibid. Sect. 4. specialis virtutis poenitentiae ab omnibus aliis diversae obiectum formale esse aequalitatem moralem cum Deo, non quae fit per iustitiam stricte sumptam, sed aliam, quae explicatur per hoc quod est non habere Deum rationabiliter aversum et indignatum seu non dare Deo fundamentum rationabiliter se avertendi ab homine, quod incomplexe et communiter dicitur *offendere Deum*. Quare haec virtus intendit vitare

hanc Dei offensionem et conservare illam aequalitatem moralem; quod si posita fuerit offensa, eadem virtus conatur illam tollere et reducere priorem aequalitatem cum Deo. Porro advertit hanc virtutem multum differre a virtute iustitiae etiam inter homines; aliud enim est offendere aliquem, aliud inferre iniuriam; offensa enim saepe contingit sine iniuria, ut si amicus a me petat commodatum librum, quo ipse valde eget et quem ego sine incommodo dare possum, si negem, offendo certe amicum, et do sufficiens fundamentum ut rationabiliter avertatur a me; licet nullam iniuriam irrogem contra iustitiam, alioquin tenerer ad restitutionem. Itaque sicut ad vitandam vel tollendam iniuriam obligat iustitia, ita, ad vitandam et tollendam offensam inclinatur alia virtus etiam inter homines. Obiectum huius virtutis est non habere alium rationabiliter aversum, seu est pax cum illo, quae non est idem ac amicitia; neque enim amicitiam cum omnibus quaerimus, at quaerimus pacem, nolumusque alios esse nobis rationabiliter aversos et iratos. Haec virtus, si nomine aliquo proprio appellanda est, potest vocari *pax*, dummodo non confundatur cum pace quae est effectus caritatis. Pariter itaque est alia virtus similis hominis ad Deum, quae inclinatur ad habendam pacem cum Deo, seu ad vitandam offensam Dei, et ad tollendam ipsam omnibus modis quando posita est; cuius *formale obiectum est bonitas pacis cum Deo*, seu non habere Deum aversum et indignatum. Cum autem Deus omnibus peccatis offendatur, omnia illa odio habet haec virtus sub ea ratione formali quia offensa Dei sunt, et omnia illa conatur tollere ut iterum habeat Deum pacatum et placatum; dicitur proinde virtus reconciliativa. Iam vero advertit Lugus quod non potest esse dubium de ipsa re, h. e. quin possit esse virtus, quae habeat hoc motivum adeo honestum. Quod vero ipsa sit poenitentia probat idem ex eo quod haec virtus distinguatur a reliquis omnibus et habeat omnia, quae de virtute poenitentiae circumferuntur. Tum probat auctoritate s. Thomae qui in IV. Dist. XIV. q. 1. a. 1. qul. 3. ait: « sicut est alicuius virtutis ut homo placet eum, quem offendit, ita etiam est alicuius virtutis ut homo Deum placet, quem peccando offendit. » Hanc Lugus sententiam acerbissime exagitat Dicastillo l. c.

IV. Tandem multorum fuisse suo tempore sententiam testatur Lugus (l. c. Sect. 2.) eamque tuetur Pallavicinus in Assertion. theolog. l. VII. c. 5. quod motivum formale poenitentiae sit *bonum compensationis*: idcirco proprium eius actum esse, velle compensare seu satisfacere pro offensa, propter bonum quod invenitur in hoc quod est compensare seu satisfacere. Ex quo inferuntur duo: primum est quod non possit dari actus absolutus huius virtutis ante peccatum, sed solum conditionatus: quia qui non peccavit nequit

velle efficaciter et absolute compensationem pro peccato: alterum est quod non elicitur ab hac virtute actus doloris vel retractationis circa peccata praeterita; quia ille actus non posset habere pro motivo formali bonum compensationis: peccata enim praeterita non opponuntur compensationi futurae, imo necessario sunt ut postea subsequatur aliqua compensatio. Attamen haec virtus ex affectu circa compensationem imperat retractationem et dolorem eliciendum non a se sed ab aliis virtutibus, scilicet a caritate, a spe, a religione et ab aliis; qui dolor est medium utile et necessarium ad finem virtutis consequendum. In hac proinde sententia inducitur ea virtus poenitentiae, quae per se actum non elicit nec elicere potest doloris peccati, quae scilicet nequit actu suo poenitere.

Nota. Quaestio: utrum poenitentia sit specialis habitus virtutis, est secundaria; si enim dantur actus poenitentiae habentes proprium obiectum formale, cum per eos actus repetitos, sicut per quosvis alios, comparari possit habitus, aut etiam possit a Deo infundi; poterit esse et erit habitus poenitentiae. Quando ergo quaeritur utrum poenitentia sit virtus specialis, quaestio tota redit ad obiectum formale actus, utrum nempe detur aliquod obiectum formale huius virtutis actus, quod differens sit ab obiectis formalibus ceterarum virtutum. Si ita est, erunt quoque actus formaliter ab aliis differentes, et eorum principium sive habitus, cum adsit, erit virtus specialis.

Non erit forte abs re advertere, virtuti frequenter operationem tribui ac si ea esset quae ageret, verum constat hanc esse tropicam loquendi rationem; est enim facultas quae agit: sed virtuti tribuitur et virtus dicitur elicere actum, quia facultas eum actum ponit eo quod illo habitu est informata, et ex motivo proprio eiusdem habitus agit. Unde actus amoris Dei dicitur elici a caritate, quia est ex motivo huius habitus infusi; actus e contrario timoris inferni, licet imperari possit a caritate, non elicitur ab illa, quia est ex alio motivo.

Ut quaestionem expediamus, haec statuenda censemus.

### THESIS III.

*Negari non potest esse aliquam virtutem, quae ex motivo aliquo universali sola detestari possit quaelibet peccata.*

I. Est contra primam sententiam, quae docet poenitentem dolere de singulis peccatis ob diversa motiva pro peccatorum diversitate; atque adeo ad singulas virtutes pertinere detestari peccatum sibi contrarium: poenitentiam vero esse aggregationem ex omnibus illis virtutibus. Contra hos instituimus thesim; et idcirco non defi-